

DIGRESSIO HISTORICA.

De Ebrietate Noë, & Loth.

NOë, transacto diluvio egressus de Arca, cepit vir agricola colere terram, & plantavit vineam; bibensque vinum, inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo. Ità narratur Gen. 9. Loth egressus Sodoma ivit Segor, & cum illic adhuc timeret conflagrationem, ascendit in montem, & ibi mansit in spelunca cum duabus filiabus, quæ cum crederent nullum virorum remanere super terram, una, & altera die Patrem inebriaverunt, dormitaveruntque successivè cum illo, ut ejus semen suscitarent, & sic conservaretur genus humanum: ex eoque conceperunt, & pepererunt, scilicet natu major Moabum, qui fuit Pater Moabitarum, natu minor Ammonem, qui fuit Pater Ammonitarum. Ità Gen. 19. Quatùm ad Noë questio est, utrùm absolute, & propiè inebriatus fuerit; & in hac hypothesi, utrùm se inebriando peccaverit. Quatùm ad Loth, utrùm tam ejus ebrietas, quam inde secutus incestus cum filiabus, fuerit culpabilis. Pro quo Dico 1. Probabile est, Noë non fuisse absolute, & propiè ebrium, sed mero dumtaxat incaluisse. Ità posse intelligi ebrietatem Noë, tradunt Chrysost. hom. 29. in Genes. Jansenius in c. 31. Ecl. & Ertius hic. Ratio est; quia vinum jam fuisse in usu ante Noë, indicat Scriptura Ecl. loco cit. ubi dicitur: Vinum ab initio in jucunditatem, non ad ebrietatem creatum. Quod autem dicitur Noë plantasse vineam, eodem sensu debet intelligi, quo dicitur cepisse exercere terram, rursum scilicet replantans, quæ erant disjecta per diluvium: proindeque virtus vini non fuit incognita Noë, qui tunc erat sexcentorum annorum; atqui non est verisimile virum justum se potu, cujus vis concusis erat, ingurgitasse usque ad pendendam ebrietatem: ergo.

Nec obstat vox Scripturæ inebriatus: Hæc enim non semper in Scripturis accipitur pro absoluta ebrietate, sed etiam subinde pro largiori, & hilariori, honesta tamen potus sumptione, ut patet ex c. 23. Gen. ubi de Joseph, & fratribus ejus dicitur: Biberuntque, & inebriati sunt cum eo. Et ex 1. Machab. 16. ubi legitur: Cum inebriatus esset Simon, & filii ejus. Et Ps. 35. Inebriabuntur ab ubertate domus tue.

Non obstat etiam, quod dicitur Noë inverecundè nudatus: non enim hæc nudatio necessario est adscribenda turbationi rationis ex ebrietate, sed vel motui naturali dormientis, vel casui: facile enim contingit, quod dormientes, præsertim si potu etiam absque ebrietate, aut aliunde incaluerint, operimenta a se projiciant.

Dico 2. (Hic a. 1. o.) Ad minus æquè probabile est, Noë absolute, & propiè fuisse inebriatum: non peccavit tamèn se inebriando, imò ejus ebrietas fuit mystica. Prima pars est Theodoretus q. 56. in Gen. S. Chrysost. hom. 29. in Gen. S. Cyrillus Alex. l. 11. Glaphyrorum in Gen. S. Hieron. Ep. 22. c. 4. Alecini, Lytani, Dionysii Carthusi, Abulensis, Pererii, & aliorum communiter. Isque videtur Scripturæ sensus magis obvis, & naturalis. Secunda pars est communis contra Calvinum: & patet, quia Noë inexpertus, & nescius vim vini illud bibit, sicut antè bibebat aquam. Ipse enim primus vineam plantavit, non quod antè ab initio mundi non fuit plantata, & a Deo cum aliis plantis creata, sed quia primus renascentes post diluvium variarum vitium radices plantavit, in vepeta distribuit, excoluit, ex earum racemis, postquam adoleverunt, liquorem expressit, & bibit, quod antè non fuerat factum. Undè Chrysost. hom. 29. in Gen. ait: „Verisimile est, quod antè, & ab initio fuerit in sex illis diebus vinea creata. Nec tamèn usum fructus ex illa manifestum fuisse. Nam si fuisset ab initio notus omnino, Abelis tempore inter oblatas Hostias & vinum libassent. Verum, quia ignorabant adhuc fructus usum, planta hac usi non sunt. Hic autèm (Noë scilicet) agriculturæ studiosus, & magnæ di-

ligentia, fortè etiam fructum degustavit, & contritiis Botris vinum fecit, eoque usus est. Et quia neque ipse gustaverat prius, neque alium sciebat qui gustaverat, ignarus, qua mensura uti debebat, per ignorantiam in ebrietatem incidit.

Ad locum Ecl. qui objicitur in 1. conclusione: R. Vinum ab initio creatum fuisse in jucunditatem; quia a mundi exordio fuit creata vitis, ex qua vinum exprimi potest. Si dicas non esse verisimile, quod toto tempore antè diluvium nemo fructum vitis gustaverit; respondeo fortè gustatum fuisse esu, non potu.

Tertia pars est S. Augustini l. 26. de Civit. c. 1. ubi dicit, Noë ebrietatem fecisse, Propheticiis gravidatam sensibus, & velatam regimine. Et Hieron. contra Luciferianos, ubi hæc habet: Egressus ex arca Noë vineam plantavit, & bibens de ea inebriatus est. Natus quoquè in carne Christus Ecclesiam plantavit, & passus est. Nudatum Patrem irriserunt Judæi, & minor textit: & Deum Crucifixum irriserunt Judæi, & honoraverunt Gentes.

Dico 3. Ebrietas Loth non videtur posse excusari a toto saltèm peccato, etsi fortè a tanto: bene tamèn ejus incestus. Ità Aug. quoad utramque partem l. 22. contr. Faust. c. 44. ubi ait: Culpandus est quidem Loth, non tamèn quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas.

Prima Pars prob. Illa ebrietas fuit voluntaria Lotho: ergo. Prob. Ant. Non est verisimile, Lothum virum divitem, & hospitalem ignorasse vim vini, quam ipse ejus filia bene perspectam habebat: ergo. Si dicas, Loth liberalius bibisse, ut suum, & filiarum merorem lineret. Respondet S. Aug. loco cit. talem adhibere consolationem non deceisse virum justum. Si addas aliqua Sodomitarum arte, mixtis fortassè aromatibus cum vino, potuisse filias paucis poculis patrem inebriare. Respondet ibidem Aug. Mirum, si hoc Scriptura divina tacuisset.

Inst. cum Sylvio in c. 19. Gen. Loth ex merore, & itinere fatigatum, atque inde siticulosum, plàs solito bibisse, & præter omnem expectationem inebriatum fuisse. R. dato sic accidere potuisse in prima ebrietate, non tamèn in secunda, quæ sequenti die contigit: cessaverat enim tum defatigatio, & exinde nata sitis, atque Loth prima eductus ebrietate, ad secundam magis debuisset esse circumspectus. Nec sanè verisimile est, quod ait doctissimus Sylvius, ipsum nescivisse, se prima nocte fuisse inebriatum. Cæterum hæc, quæ objiciuntur, probant, quod in conclusione dixi, Loth excusari, si non a toto, saltèm a tanto.

Secunda pars, quæ est communis, probatur contra Natalem Alex. Ille incestus non fuit Lotho voluntarius neque in se, neque in causa. Non in se, quia rationis impositus, ebrius nenapè, illud commisit; non in causa, quia in ea nec prævisus fuit, nec potuit humano modo prævideri; quis enim tale quid ex ebrietate secuturum unquam somniasset? ergo. Undè Theodoretus q. 70. in Genes. dicit: Nemo profectò merito Loth reprehenderit ob istam meritoriam. Nesciebat enim, quid ageret.

Quantùm ad filias Loth: S. Ireneus, Chrys. Ambrosius, & alii ipsas excusare conantur; sed probabilior est, & communior sententia Aug. l. 22. contr. Faust. c. 34. Qui, licet eas aliquatenus excuset, quod non ardore libidinis, sed ad conservationem generis humani, quod perisise isto incendio putabant, cum patre essent congressæ, dicit tamèn: Potius nunquam esse matres, quam sic uti patre, debuissent. Et ratio est 1. quia error, quo credebant totum genus humanum perisise, non videtur invincibilis, cum perspicere urbem Segor servatam, aut saltèm ea de re patrem potuissent, & debuissent consulere. 2. Dato hunc earum errorem fuisse invincibilem, non ignorabant, saltèm invincibiliter, illicitum esse se patri miscere, si quidem ex horrore facinoris non ausè sunt illud proponere patri, sed ipsum inebriaverint, ut ab ebrio, & nesciente extorquerent, quod a vigilante, & sano nunquam obtinuisset.

DISSERTATIO IV. DE CASTITATE, PUDICITIA, ET VIRGINITATE. D. Thom. Quest. 151. & 152.

ARTICULUS I.

De Castitate, & Pudicitia.

Nota 1. (Q. 151. a. 1. & 2. o. & ad 2.) Castitas dicitur a castigando. Sicut enim pueri, dum castigantur,

emendantur; si verò suæ voluntati dimittantur, pejores fiunt: ità concupiscentiæ, quæ assimilantur pueris, dum refrenantur, minuuntur; si verò nutrantur, per hoc quod eis consentitur, augentur. Et quamvis omnes concupiscentiæ indigeant castigari a ratione, quia tamèn concupiscentia

ARTICULUS II.

De Virginitate.

In quo consistat; & utrùm sit licita?

Nota 1. (Q. 152. a. 1. o.) Virginitas dicitur à virore: sicut enim illud dicitur virens, & in suo virore persistere, qui nimio calore non est adustum; ità Virginitas hoc importat, quod persona, cui inest, immunis sit à concupiscentiæ adustione, quæ esse videtur in consumptione maximæ delectationis corporalis, qualis est venerorum delectatio. Nota 2. Virginitas sumitur dupliciter. 1. Naturaliter pro integritate membri genitalis in utroque sexu, qualem nascendo ex beneficio naturæ habemus. 2. Moraliter; & hoc iterum dupliciter, vel pro quodam statu castitatis, ut explicabo modo, vel pro speciali virtute à castitate distincta, quæ definitur juxta Aug. libr. de Virg. c. 13. In carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio, hoc est, propositum; vel communitè: Forma voluntas perpetuò abstinenti ab omnibus delectationibus veneris; quarum præcipua est in resolutione seminis, quia ad eam omnes alii actus veneris, etiam ipse coitus, naturaliter ordinantur. Nota 3. Virginitatem naturaliter sumptam consistere in integritate carnis; patet ex ejus notione data. Et hæc virginitas intelligitur in communi modo loquendi: juxta quem ille puella dicitur Virgines, quæ hæc integritatem servant, quamvis aliunde sint polluta. Hunc usum sequitur Ecclesia in Virginum consecratione, à qua non repelluntur variis modis voluntariè polluta, modo claustrum virginalè integrum servaverint: & de Virginitate hoc modo sumpta loquitur Aug. libr. 4. contr. Jul. c. 8. Jam ipsum redarguit, quod Virginitatem, pudicitiam pro re eadem usurpet; & dicit, Virginitatem esse rem corporis, pudicitiam animi: hanc posse permanere, illa violentè ablata. Virginitas sumpta pro quodam statu castitatis duo importat: 1. quod persona non sit voluntariè polluta: 2. quod sit in proposito sic se servandi, nisi matrimonio jungatur: & hoc modo puella nobiles castæ dicitur Virgines. Restat ergo solum difficultas de Virginitate, proest virtus. Pro quo nota 4. (Ibid.) In actu venero tria posse considerari. Primum ex parte solius corporis, scilicet violatio signaculi virginalis. Secundum ex parte corporis, & animæ, scilicet ipsa resolutio seminis delectationem sensibilem causans. Tertium ex parte solius animæ, scilicet consensus in hanc delectationem, aut propositum ad illam perveniendi: & quia Virginitas consistit in his rebus removendis, queritur, quo modo ad illam se habeat. Pro quo

Dico 1. (Ibid.) Ad Virginitatem moraliter sumptam pro virtute per accidens se habet integritas carnis: materialiter se habet abstinentia à delectatione venera, formaliter propositum perpetuò abstinenti à tali delectatione. Prima pars patet; (Ibid.) tum quia moralis actus non consideratur per se, nisi secundum ea, quæ sunt animæ: tum quia amissa integritate carnis, potest remanere Virginitas moraliter; si enim casu, aut aliter citrà omnem consensum membri integritas corrumpatur, non magis præjudicaret virtuti virginitatis, quam si corrumpatur manus, aut pes. Patet etiam 2. Pars. (Ibid.) Quia sensibiles passiones sunt materia actuum, & virtutum moralium. (Ibid. ad 3. o. et ad 1.) Verum, quia per hoc, quod ex proposito abstinet quis à delectatione venera, conservat carnis integritatem, hæc ideo potest etiam dici esse materiale virginitatis moraliter sumptæ. Tertia tandem Pars etiam patet: (Ibid. ad 1. o.) quia ratio moralium formaliter, & completivè consistit in eo, quod est rationis.

Dico 2. (Ib. a. 2. o.) Virginitas pia, moraliter sumpta pro voluntate perpetuò abstinenti ab omni delectatione venera, non est illicita. Est contra Lutherum, & ejus sequaces. Prob. 1. (Ib. in arg. s. c.) Auctoritate Scripturæ. Nihil illicitum rectè cadit sub consilio; atqui virginitas rectè cadit sub consilio; dicit enim Apostolus 1. Cor. 7. De virginitate autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Et postea: Solatus es ab uxore, noli querere uxorem. Præmiserat autèm, Volo, hoc est, opto, omnes vos esse sicut me ipsum, ocelibem scilicet. Et iterum: Dico non nuptis, & viduis bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Item patet ex c. 19. Matth. ubi Christus approbat eos, qui se castraverunt, hoc est, veneris illecebri renuntiarunt, propter regnum Calorum.

Prob. 2. Ratione. (Ibid. o.) Illud non est illicitum in humanis actibus, quod est secundum rectam rationem;

atque pia virginitas est secundum rectam rationem: ergo. Prob. Ant. Pia virginitas abstinere ab omni delectatione venerea propter bonum animæ, & ut liberius vacet contemplationi rerum divinarum; atque hoc est secundum rectam rationem: ergo. Prob. Minor: recta ratio exigit, ut his, quæ sunt ad finem, utamur secundum eam mensuram, quæ congruit fini; atque bona corporis, qualis est dicta delectatio; sunt propter bonum animæ tanquam propter finem, sicut bona exteriora, v. gr. divitiæ sunt propter bonum corporis tanquam propter finem: & inter bona animæ, bona contemplativæ vitæ sunt potiora bonis vitæ activæ, juxta illud Luc. 10. *Maria optimam partem elegit*: ergo est secundum rectam rationem, quod homo abstinere a voluptate corporea propter bonum animæ, ut liberius vacet contemplationi Divinarum: sicut foret secundum rectam rationem, si abstinere ab aliquibus rebus exterioribus possidendis propter bonum corporis. Confirmatur exemplo Christi, B. Virginis, & plurimorum Sanctorum, qui semper manserunt Virgines.

Solvuntur objectiones.

Obj. Omne, quod contrariatur præcepto legis naturæ, est illicitum; atque virginitas contrariatur præcepto legis naturæ: ergo. Prob. Minor. Sicut est præceptum legis naturæ ad conservationem individui, quod tangitur Gen. 2. *De omni ligno Paradisi comede*: ita etiam est præceptum legis naturæ ad conservationem speciei, quod ponitur Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*: ergo, sicut peccaret contra præceptum legis naturæ, qui abstinere ab omni cibo, ut potest fieri contra bonum individui; ita etiam peccat contra præceptum legis naturæ, qui omnino abstinere ab actu generationis, ut potest fieri contra bonum speciei. Responderi potest, hæc verba Gen. *Crescite*, &c. non esse præcipientis, sed beneficiæ, & beneficium fecunditatis conferentis. Sed dato esse præceptum naturale de conservanda specie. R. Neg. Minor. (*Ibid. ad 1.*) Ad probationem, Neg. Consequentiam, quia præceptum de conservanda specie respicit totam multitudinem; ad præcepta autem, quæ respiciunt totam multitudinem, non tenetur quilibet de tota multitudine: quia multa sunt multitudinibus necessaria, ad quæ adimplenda unus non sufficit. Sicut, v. gr. in exercitu, quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant: quæ tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt. Cum itaque multitudinibus hominum non solum necessarium sit, quod multiplicetur corporaliter, sed etiam quod spiritualiter proficiat, sufficienter providetur humane multitudinibus, si quidam carnali generationi operam dent, quidam vero ab hac abstinentes contemplationi Divinarum vacent ad totius humani generis pulchritudinem, & salutem. At verò præceptum datum de comestione necesse est, quod ab unoquoque impleatur, quia aliter individuum conservari non posset. Potest addi insuper. (*In 4. Distinct. 37. quest. 3. a. 2. ad 2.*) Etsi supponeretur hoc præceptum esse datum singulis, quia tamen est affirmativum, non obligat ad semper, sed tantum in casu necessitatis; nunc autem multiplicato sufficienter genere humano, & plurimis generationibus vacantibus, nulla est necessitas. Unde etiam in hac hypothese nullus in particulari tenetur nunc vi istius præcepti vacare actui generationis; sed posset laudabiliter abstinere ab illo majoris boni gratia, & exemplo, ut jam dixi, Christi, B. Virginis, & plurimorum Sanctorum.

Inst. Si omnes vellent manere Virgines, mundus periret: ergo illicita est virginitas. R. N. Conseq. 1. Quia secundum ultimam solutionem, dato quod in necessitate urgeat præceptum affirmativum matrimonii, non sequitur, quod urgeat nunc, quando non est necessitas. 2. Quia pro absurdo haberi non debet, quod mundus pereat, cum, etsi omnes nubere, sit aliquando periturus. 3. Cum mundus sit creatus ad implendum numerum electorum, si omnes permanerent Virgines, quales optat esse Apostolus supra citatus, possent existimare tunc esse completum numerum electorum, & finem mundi adesse. Cæterum: *Noli metuere*, inquit Hieronymus Joviniano, *Ne omnes Virgines fiant, difficilis res est Virginitas, & ideo rara, quia difficilis*.

Obj. 2. Virginitas recedit à medio virtutis: ergo. Prob. Ant. ex Philosopho 2. Ethic. c. 2. dicente: *Qui omni voluptate potitur, neque ab una recedit, intemperatus est: qui autem omnes fugit sicut agrestis, est insensibilis*: ergo. R. N. Ant. (*Ibid. ad 2.*) Ad probat. dico, quod, qui

abstinere ab omni delectatione, præter rectam rationem, delectationem quasi secundum se abhorrens, sit insensibilis sicut agrestis; at virgo non abstinere ab omni delectatione, quasi eam secundum se abhorrens, sed à venerea tantum, & hoc quidem secundum rectam rationem, quia propter bonum animæ. Medium autem virtutis non secundum quantitatem, sed secundum rectam rationem determinatur. Unde de magnifico dicitur, quod sit magnitudine extremus, medius tamen, quia est extremus eo modo, quo oportet.

Obj. 3. Poena non debetur nisi vitio; atque apud antiquos puniebantur secundum leges illi, qui semper cælebem vitam ducebant: unde Plato secundum Aug. l. 4. de vera Religione sacrificasse dicuntur naturæ, ut perpetua ejus continentia tanquam peccatum aboleretur: ergo. R. D. Minorem: Puniebantur illi, qui semper cælebem vitam ducebant ex aliquo motivo humano, C. ex motivo supernaturali, N. Leges enim feruntur secundum eam, quæ ut in pluribus accidit; hoc autem erat rarum apud antiquos, ut aliquis amore divinæ veritatis contemplandæ ab omni venerea delectatione abstinere, quod solum Plato legitur fecisse: unde sacrificavit, quasi hoc peccatum reputaret, sed perversæ opinionis civium cedens, ut ibidem Aug. dicit. Insuper istæ leges etiam attendit sola lege naturali non erant justæ, neque etiam erant universales; nam Vestales apud Romanos summo honore habebantur, & quæ ex illis corruptæ deprehendebantur, extremo supplicio afficiebantur.

Obj. 4. cum Lutheranis. Nemo potest scire, an continentia donum habeat; dicit enim Apost. 1. Cor. 7. *Qui non se continent, nubant*: ergo. R. N. Conseq. ut enim quis proponat, imò & voceat servare perpetuam castitatem, non est necesse, quod certò sciat se illud donum habere; sed sufficit, quod sciat se id posse divina gratia adjuvatum; sicut, ut quis fiat Christianus, non est necesse, quod certus sit nequaquam à fide recessurum; sed sufficit, quod sciat se ex divini auxilio posse in ea perseverare.

Quædam obijciuntur ex SS. Hieron. & Aug. quibus videntur agnoscere legem fuisse apud Judæos de matrimonio incedendo, & necessariam fuisse huic legi obedientiam. R. Titinus in c. 7. Deuteronom. dicit, Hieronymum non bene intellexisse hæc verba Exod. 23. & Deuteronom. 7. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis*, quasi importarent legem, cum significarent tantum benedictionem fecunditatis. Fecunditas enim non est in potestate hominis, & brutorum greges non sunt præcepti capaces. Sed veritas fortasse atque decentius videtur dicendum, tam Hieron. quam Aug. usurpasse legem improperè pro consuetudine, quæ tunc vigeat apud Judæos, ut omnes nubere propter spem procreandi Messie: & similiter usurpasse obedientiam, seu necessitatem respectivè ad hanc consuetudinem. Idque eruitur 1. quia ipse Hieron. l. 1. contr. Jovin. & Ep. 118. agnoscit Josue, Eliam, Eliseum, & Jeremiam permansisse Virgines. 2. Quia Aug. lib. de Virginit. c. 4. expendens votum à Deipara nuncupatum contrarium duntaxat vocat moribus Judæorum: *Hoc inquit, Israhelitarum mores adhuc recusatant*. 3. Quia nemo nescit, utrumque S. Doctorem Virginitatem summis laudibus extulisse. Cæterum dato fuisse in antiqua lege præceptum de matrimonio, saltem nunc certò constat ex Christo, Matre ejus, S. Jo. Bapt. S. Jo. Evang. & infirmitatibus propè alios Sanctis, atque ex Apost. supra cit. hoc præceptum abolevisse in nova lege. Alia Argumenta require in suppl. Q. 41. art. 2. ubi disputatur, an matrimonium cadat sub præcepto.

ARTICULUS III.

Utrum Virginitas sit virtus specialis?

Dico: (*Ibid. a. 3. o.*) Virginitas est virtus specialis à castitate distincta. Quod sit virtus patet, quia disponit hominem secundum rectam rationem, ut art. præcedenti dictum est.

Quod sit specialis virtus (*Ibid.*) à castitate communi distincta probatur. Ubi est specialis ratio boni habens specialem excellentiam, ibi invenitur specialis ratio virtutis, sicut patet in magnificentia, quæ est circa magnos sumptus, & ex hoc est specialis virtus, tincta à liberalitate, quæ communitè se habet circa communem usum pecunie; atque se servare immunem ab experimento venereæ delectationis habet specialem rationem boni, & quandam excellentiam laudis, supra hoc quod est se conservare immunem ab inordinatione venereæ de-

lectationis, quod respicit castitas communis: ergo Virginitas est quædam specialis virtus, habens se ad castitatem, sicut magnificentia ad liberalitatem.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Nulla virtus inest nobis à natura; atque Virginitas inest nobis à natura: ergo. R. D. Minorem: (*Ibid. ad 1.*) Virginitas quoad suum materiale inest nobis à natura, C. quoad suum formale, N. sic enim includit propositum integritatem naturalem perpetuè servandi, quod non est nobis à natura.

Obj. 2. Qui habet unam virtutem, habet omnes; sed aliqui habent alias virtutes, & non habent virginitatem, ut patet in Conjugatis: ergo. R. D. Maj. (*Ibid. ad 2.*) qui habet unam virtutem habet omnes quoad formale, C. quoad materiale, N. Et ad hunc sensum, distincta Minor N. Conseq. Etenim ipsi conjugati debent habere in preparatione animi propositum prædictæ integritatis servandæ, si hoc ipsis competere: sicut pauper, qui non habet materiam magnificentie, potest tamen in preparatione animi habere propositum magnificos sumptus faciendi, si sibi competere: similiter, qui est in prosperitate, habet in preparatione animi propositum adversa æquanimiter tolerandi; & sine hac preparatione animi nemo potest esse virtuosus. Quando autem dicitur (*1. 2. q. 65. a. 1. ad 1.*) virtutes esse connexas, intelligitur, vel actu, vel in proxima dispositione, qualis est dicta præparatio animi: illud enim habere dicimus, quod in promptu est ut habeamus, secundum illud Philosophi 2. Phys. *Quod parum deest, quasi nihil deesse videtur*.

Obj. 3. Omnis virtus restituitur per poenitentiam; atque Virginitas non restituitur per poenitentiam; unde Hieron. dicit ad Eustochium: *Cum cætera Deus possit, non potest virginitatem per ruinam reparare*: ergo. R. D. Maj. (*Ibid. a. 3. ad 3.*) omnis virtus quantum ad suum formale restituitur per poenitentiam, C. Maj. Quantum ad suum materiale, N. Non enim si quis magnificos consumperit divitias suas; per poenitentiam peccati restituntur ei divitiæ: similiter, qui virginitatem peccando amisit, non recuperat per poenitentiam virginitatis materiam, scilicet integritatem carnis, sed recuperat virginitatis propositum si recta ratio id ab eo postulare. Porro (*Ibid.*) circa materiam virginitatis est aliquid, quod miraculose reparari potest, scilicet integritas membri, quam diximus accidentaliter se habere ad virginitatem. Aliud autem est, quod nec miraculose reparari potest, ut scilicet quod qui expertus est voluptatem veneream, fiat non expertus. Non enim Deus potest facere, ut ea, quæ facta sunt, non sint facta, quoniam ad præteritum non est potentia, ut dicitur 1. p. q. 25. art. 4.

Inst. atque virginitas non potest reparari etiam quantum ad suum formale: ergo. Prob. Antec. Formale virginitatis, est propositum servandæ integritatis; atque hoc propositum, amissa semel integritate, est impossibile, non enim potest conservari, quando non potest recuperari: ergo. R. N. Subsumptum: ad probationem. D. Min. amissa integritate, propositum eam servandi absolute est impossibile, C. servandi conditionate, N. Igitur reparatio virtutum intelligenda est, sicut connexio earum: & propterea, inquit Cajetanus, sicut decrepitu potest esse fortis, & pauper magnificus, ita corrupta persona potest esse virgo quoad formale; sed tamen cum aliqua differentia: aliter enim formale virtutis determinat materiam suam quando est, & aliter quando abest. Quando adest, determinat absolute: sic, cum adsunt multe pecunie, magnificus eas determinat absolute; dùm absunt, determinat conditionate tantum, & in preparatione animi; R. sicut ideo salvatur in paupere virtus magnificentie saltem in proxima dispositione, ut dixi supra; sic in corrupta, seu conjugata salvatur virginitas formaliter in proposito servandæ integritatis, si adesset: Et hoc sufficit. Neque tamen inferas, corruptam poenitentem, aut conjugatam esse denominandam virginem. Denominatio enim absoluta desumitur ab habitu actu inhereente, & materia absolute determinante. Sic pauper non denominatur magnificus; neque is, cui omnia arident, vir patiens. Adde, quod denominatio virginitatis denotet integritatem carnis.

Obj. 4. Nulla virtus perditur sine peccato; sed virginitas perditur sine peccato, nempe per matrimonium: ergo. R. S. Th. hic: (*Ibid. ad 4.*) Quod virginitas, secundum quod est virtus, importat propositum voto firmatum integritatis perpetuè servandæ, unde nunquam amittitur, nisi per peccatum. Ex quo inferat Cajetanus hic, virginitatem juxta S. Doct. non esse virtutem specialem à castitate distinctam. Secunda Secunda.

tinctam, nisi sit voto firmata, & S. Th. hic retractasse, quod junior dixerat in 4. loco mox citando. Alii verò, ut Paludanus in 4. d. 33. q. 2. a. 1. conclus. 1. Dominicus Soto in 4. d. 49. q. 5. a. 2. Sylvester v. *Virginitas*, q. 1. quos sequitur Sylvius hic, volunt, virginitatem etiam sine voto esse specialem virtutem à castitate distinctam. 1. quia sic considerata habet specialem rationem boni, specialem excellentiam supra castitatem, specialemque difficultatem. 2. quia habet speciale peccatum sibi oppositum, nempe stuprum simplex, quod nulli alteri virtuti opponitur præterquam virginitati, etiam sine voto. Ad S. Th. respondent, cum sic loqui de virginitate secundum gradum perfectum, & prout communiter colitur, siquidem, inquit, S. Doct. in 4. Dist. 33. q. 3. a. 2. ad 4. aperius dicit, quod *completa ratio virginitatis prohi est virtus*, sit in illis, qui habent propositum custodiendi integritatem usque ad finem, *sive sine voto, sive cum voto*. Et ibid. D. 49. q. 5. a. 3. *Illis tantum virginitas aureolam debet, quæ propositum habuerunt virginitatem perpetuè servandæ, sive hoc propositum voto firmaverint, sive non*. Juxta quam sententiam ad argumentum respondendum est D. Maj. nulla virtus quantum ad suum materiale perditur sine peccato per matrimonium, C. Quantum ad suum formale, N. Nam & ipsi conjugati habent propositum servandi integritatem, si recta ratio id exigeret; a quo si recedant, peccant.

Obj. 5. Virginitas dividitur viduitati, & pudicitie conjugali; atque neque viduitas, neque pudicitia conjugalis sunt virtutes distinctæ a castitate communi: ergo nec virginitas. R. N. Cons. (*Ibid. ad 5.*) Disparitas est, quod castitas conjugalis in hoc solo habet laudem, quod abstinere ab illicitis voluptatibus, unde non habet excellentiam supra communem castitatem. Viduitas autem addit quidem aliquid supra castitatem communem, non tamen pervenit ad id, quod perfectum est in illa materia, scilicet ad omnimodam immunitatem venereæ voluptatis, sed sola virginitas. Et ideo sola virginitas ponitur virtus specialis supra castitatem; sicut, proportionata servata, magnificentia supra liberalitatem.

Inst. Vidua majorem patitur difficultatem in abstinendo, quam virgo, propter rememorationem delectationis; atque tamen non est ideo virtus specialis: ergo nec virginitas. R. D. Maj. (*In 4. d. 49. q. 5. a. 3. ad 1.*) Vidua patitur majorem difficultatem secundum quid, C. simpliciter, N. Quamvis enim propter rememorationem delectationis vidua patitur in abstinendo difficultatem, quam non patitur virgo; majorem tamen sustinet virgo in continendo difficultatem ex aliis capitibus. 1. Etenim virginitas concupiscentiam inflammari experiendi desiderium, quod ex quadam quasi curiositate procedit. 2. Eis concupiscentiam auget astimatio majoris delectationis, quam sit secundum veritatem, & inconsideratio incommodorum, quæ huic delectationi conjunguntur. Insuper, ut dixi, viduitas non attingit ad id, quod perfectum est in illa materia.

ARTICULUS IV.

Utrum Virginitas sit excellentior Matrimonio?

Nota. Sensus questionis non est utrum integritas carnis sit excellentior usu, aut contractu matrimoniali præcise: hæc enim questio magis est physica, quam moralis; sed comparando statum virginitatis (sub quo intelligit coelibatum) cum statu matrimonii, prout hi status diversas vivendi formas continent, sit ille isto excellentior? Pro quo

Dico 1. (*Ibid. a. 4. o.*) Virginitas est excellentior, & melior matrimonio. Hanc conclusionem negavit olim Jovinianus, qui, cum neque nupsisset, neque nubere vellet, propter molestias conjugales, contendebat tamen, non plus esse meriti servare castitatem, quam uti matrimonio. Contra cujus errorem scripsit Hieron. & quem Concilio coacto damnavit Sixtus Papa apud Ambr. Ep. 80. ubi sic loquitur Pontifex: *Nos sanè nuptias non aspernantes accipimus, quibus velamine intersumus; sed virginum nuptias Deo devotas majore honorificentia veneramus*. Et immediate subjungit: *facto Presbyteria* (id est Concilio Presbyterorum) *omnium nostrum tam Presbyterorum, Diaconorum, quam totius etiam Cleri, una fuit sententia, ut Jovinianus, Ausentius, Gentilis, &c. qui auctores novæ hæresis, & blasphemie inventi sunt, divina sententia, & nostro iudicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent*. Quam condemnationem laudantes Ambrosius, & cum eo congregati Episcopi Ep. 81. inter plura sic loquuntur: *Jure laudatur bona uxor, sed melius pia virgo præfertur*.

tur, dicente Apost. qui jungit virginem suam bene facit; & qui non jungit, melius facit.... bonum conjugium, per quod est inventa posteritas successione humana; sed melior virginitas, per quam Regni Celestis hereditas acquisita.

Recentes Hæretici, antiquis pejores, scripserunt virginitatem, non solum non esse matrimonio præstantiorem sed esse superstitionem impiam, si assumatur in cultum, & obsequium Dei: & licet assumptam ob hujus vite utilitatem, & majorem Evangelici ministerii facilitatem, non esse malam, stultum tamen esse ad illam adstringere, nisi quis certus sit se habere donum continentie. Ita Lutherus in Epitalamio, & Calvinus libr. 4. Instit. c. 13. §§. 17. 18. & 19. quos anathemati subjecit Conc. Trid. sess. 24. Can. 10. his verbis: Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitalis, vel calibatus; & non esse melius, ac beatus manere in virginitate, aut calibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.

Itaque (Ibid.) conclusio pertinet ad fidem, & præter laudata Decreta, probatur 1. exemplo Christi, qui virginitatem servavit, & virginem Matrem elegit, quorum exempla secuti sunt propè infiniti utriusque sexus. Prob. 2. (Ib.) auctoritate, ratione, & exemplo Apostoli 1. Cor. 7. ubi dicit: De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis... Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divinis est. Et mulier inupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro... Agitur & qui matrimonio jungit virginem suam bene facit; & qui non jungit, melius facit... Beatorum autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium: puto autem, quod et ego spiritum Dei habeam. Quibus verbis Apostolus non solum sua auctoritate, & exemplo, sed & ratione probat præstantiam virginitalis supra matrimonium, nimirum quod virginitas liberet a vinculis, & curis sæculi, præbeatque facultatem perfectè Deo serviendi; quod non præstat Matrimonium implicans variis sollicitudinibus, scilicet ut alter alteri placeat, ut ipsi cum sua familia honoratè inter suos amicos vivant, ut proles decentè educant, ut amplam hereditatem ipsis relinquunt, & alia plura varia, quibus videmus passim sic occupari conjuges, ut vix dimidiam horam in die, imò quandoquæ in hebdomada Deo, & salutis suæ consecrant. His auctoritatibus accedit unanims Patrum consensus. Pro quo vide SS. Aug. Hieron. Cyprian. Ambros. Basilium, &c.

Prob. 3. (Ib. a. 4. ad 1.) Ratione. Bonum animæ est potius bono corporis, & bonum vite contemplativæ bono vite activæ; atqui pia Virginitas ordinatur ad bonum animæ secundum vitam contemplativam, quod est cogitare ea, quæ sunt Dei; conjugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani, & pertinet ad vitam activam, qua vir, & mulier in Matrimonio viventes necesse habent cogitare, quæ sunt mundi, ut dicit Apost. citatus: ergo. Confirmatur Matrimonium secundum se convenit homini secundum partem inferiorem, qua similis est brutis; Virginitas autem formalitè sumpta convenit homini secundum rationem, qua similis est Angelis: ergo.

Dico 2. (Ib.) Quamvis virginitas sit maxima virtutum inter species castitatis, præcellit enim conjugali, & viduali; non est tamen maxima virtutum simpliciter, illi enim præcellunt virtutes Theologicæ, & virtus Religiosis, quæ versantur immediate circa Deum, aut res divinas. Item virtus fortitudinalis Martyrum, qui, ut inhæreant Deo, vitam postponunt; item virtus Religiosorum, qui in eundem finem postponunt propriam voluntatem, & omnia, quæ possunt habere, cum Virgines ad hoc postponant tantum veneram voluptatem: ergo.

Dices 1. contra 1. concl. Aug. libr. de bono conjug. c. 21. dicit: Sicut non est impar patientie meritum in Petro, qui passus est, et in Joanne, qui passus non est; sic non est impar meritum continentie in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios generavit; atqui majoris virtutis majus est meritum: ergo Virginitas non est potior virtus, quam castitas. R. D. Min. (Ibid. a. 4. ad 1.) majoris virtutis majus est meritum, cæteris paribus, C. cæteris imparibus, N. Explicatur: Itaque is, qui virtutis majoris opus exercet ex majori affectu erga Deum, majus habet meritum, quam qui virtutem minorem exercet ex minori affectu erga Deum; sed qui minorem virtutem exercet æquali, ac prior affectu in Deum, paratus majorem virtutem exercere, si sibi conveniret, æqua-

le meritum habet quoad præmium essentialia, quia tale meritum non solum pensatur ex genere actus, sed magis ex animo operantis. Habuit autem Abraham animum sic dispositum, ut paratus esset Virginitatem servare, si esset tempori congruum, ex quo meritum continentie conjugalis in ipso æquatur merito continentie virginitalis in Joanne respectu præmii essentialis, non autem accidentalis, quod dicitur aureola. Sicut Christus, Qui venit manducans, & bibens, non habuit minorem abstinence virtutem, quam Joannes Baptista, Qui venit neque manducans neque bibens, Undè subjungit S. Aug. ibidem: Quod Joannis calibatus, & Abrahæ connubium pro temporum distributione Christo militaverunt; sed continentiam Joannes etiam in opere, Abraham verò in solo habitu habebat.

Dices 2. Bonum commune potius est bono privato; atqui conjugium ordinatur ad bonum commune, virginitas autem ordinatur ad bonum privatum tantum: ergo. R. 1. D. Maj. (Ib. ad 1.) bonum commune est potius bono privato ejusdem ordinis, C. Superioris ordinis, N. Conjugium autem ordinatur ad bonum commune corporale, scilicet multiplicationem corporalem generis humani, & virginitas ad bonum privatum sed spirituale, idè quod superioris ordinis. Undè N. Conseq. R. 2. N. Min. pro 2. parte. Non enim Virginitas ordinatur tantum ad bonum privatum, sed etiam ad bonum totius Ecclesiæ, partim quia Virgines expeditæ a curis sæculi sunt in statu perfecti vacandi Deo, & ipsum precandam pro se, & pro aliis: partim quia frequentia earum bona opera tam vi charitatis, quam eorum intentionis sunt communia membris ejusdem corporis: partim tandem, quia decor, qui in eis splendet, exornat Ecclesiam, cujus sunt illustris portio.

Dices 3. Matrimonium est Sacramentum conferens gratiam, non Virginitas: ergo. R. N. Conseq. 1. Quia non instituitur hic comparatio inter Matrimonium ut Sacramentum, & Virginitatem, sed inter statum Matrimonii, & statum Virginitalis, ut dixi supra. 2. Quia gratia Sacramenti compensatur per copiosorem gratiam, quam consequuntur Virgines, offerendo suam Virginitalitatem Deo, Divinisque frequentius, & devotius vacando.

ARTICULUS V.

Quibus modis amittitur Virginitas; & utram amissa possit recuperari?

Dico 1. Virginitas naturalis amittitur irreparabiliter in viro per copulam, in muliere per reserationem claustrii virginitalis, sive hæc reseratio fiat per copulam voluntariam, vel involuntariam, sive per aliam turpitudinem. Patet, quia Virginitas naturalis consistit, ut dixi, in integritate membri genitalis, quæ irreparabiliter violatur per copulam, aut reserationem claustrii, sic, ut puella sic corrupta non sit amplius materia stupri, nec in usu communi denominetur amplius Virgo.

Dico 2. (Ib. a. d. 33. a. 1. ad 4.) Virginitas moralitè sumpta pro virtute amittitur, non solum per pollutionem voluntariam, aut consentium in delectationem carnalem, sed per simplicem consentium in rem veneram, etiam seclusa pollutione, aut delectatione, ut si quis simpliciter proponeret nubere, aut fornicari, aut tangere impudicè. Quia tunc deficit a proposito perpetuè abstinendi ab omni re venera, in quo sita est Virginitalis virtus.

Dico 3. (Ib.) Virginitas, amissa per simplicem consentium in rem veneram, potest reparari; amissa per pollutionem, non potest. Ratio est (Ib.) quia in primo casu perit tantum id, quod est formale in virginitate, scilicet propositum, remanente materiali. In secundo autem perit irreparabiliter, quod est materiale, scilicet incorruptio, seu immunitas ab omni experimento delectationis veneræ, quæ est in resolutione seminis; atqui potest iterum assumi propositum servandi incorruptionem, quæ permanet; non potest autem, si perierit, nisi ut dixi art. 3. præparatione animi. Quia electio servandi incorruptionem, quam quis nunquam amisit, non exigit, quod nunquam contrariam electionem habuerit, sed quod nunquam habuerit contrariam corruptionem.

Dico 4. Verius videtur, virginitalitatem, amissam per actus libidinosos, ut sunt copula, tactus, aspectus turpes, &c. etiam non secuta pollutione, non posse reparari, saltem in his, qui attentæ ætate sunt capaces seminationis. Quia, licet de facto non habeatur delectatio, quæ est in resolutione seminis, cujus immunitas est præcipua materia virginitalis, est omnino per accidens, cum actus ex natura sua, & ex intentione agentis ed tendant; judicium autem in moralibus fertur de his, quæ sunt per se, & non per

per accidens. Et sanè mirum esset, cum, qui per solam delectationem morosam pollutionem sibi semel procuraret, amittere irreparabiliter virginitalitatem, quam non amitteret irreparabiliter, qui sodomiticè centies fedaretur absque pollutione, & hunc habere aureolam, qua privaretur alter.

Dixi: Saltem in his, qui attentæ ætate sunt capaces seminationis. Quia S. Th. loc. cit. videtur excipere impuberes seminationis incapaces, his verbis: (Ib.) Si luxuria contrà naturam tempus perfectè ætatis præveniat, cum non adsit seminis decisio, & per consequens nec delectatio completa mentem suffocans, non amittitur virginitas quantum ad id, quod est materiale in ipsa. Advertit autem Cajetanus hic in fine, sexum femineum esse capax seminationis antè pubertatis annos, etiam in sexto ætatis anno & supra: unde mulieres longè citius possunt irreparabiliter amittere virginitalitatem, quam viri.

Nec tamen ex hac exceptione certò inferas, viros seminare impotentes ex infirmitate, non etiam amittere irreparabiliter virginitalitatem per actus libidinosos. Quia ut subdit laudatus Cajetanus ibidem, differt puer a viro per infirmitatem impotentem, quod puer est per se impotens, vir autem infirmus per accidens impotens, & propterea puer per se deest materia stupri, viro autem per accidens. Ac per hoc puer remanet virgo per se ex parte materie & corporis; vir autem remanet ex parte corporis per accidens virgo. Et propterea non est dubium, quin pueri virginitas sit reparabilis per potentiam; sed an sit etiam reparabilis sic perditam infirmi viri virginitas, non facile dixerim; trahitur fortè id, quod est per accidens, ad id, quod est per se. Ita Cajet.

Dico 5. Virginitas, amissa per solam delectationem morosam, etiam accedente consensu in opus, probabiliter potest reparari, nisi sit talis delectatio, ut ex ea nata sit sequi pollutio. Primam partem colligo ex præcedenti Doctrina Auctoris; quia, posita sola delectatione, etiam cum consensu in opus remanet adhuc, quod est materiale in virginitate, nempe immunitas a delectatione, quæ est in decisionè seminis,

DISSERTATIO V. DE LUXURIA.

D. Thom. Quest. 153.

Luxuriam hoc eorum, mortiferum spirans fetorem ingressurus, Christiane Lector, ora mecum: Ure igne S. Spiritus renes nostros, & cor nostrum Domine, ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus, per Christum Virginem, Virginis Filium, & Virginum Sponsam. Amen.

ARTICULUS I.

Utrum Luxuria sit ex genere suo peccatum mortale?

Nota. (Q. 153. a. 1. o. & ad 1.) Luxuria dicitur a luxando, seu solvendo animum; & cum nihil magis luxet animum, seu, ut dicit Aug. 1. Soliloq. c. 10. nihil tam ex arce deficit animum virilem, quam delectatio veneræ, idè luxuria propriè significat excessum, seu superfluitatem in delectatione veneræ. Secundario autem & minus propriè translatum est hoc nomen ad significandum omnem excessum, non solum in rebus ad hominem pertinentibus, ut in cibo, potu, vestitu, ædibus, hortis, &c. sed etiam in rebus creaturas irrationales spectantibus, sic agni & hædi lascivientes, arbores copiosiores ramos emittentes, agri nimium feraces, luxuriant dicuntur. Similiter libido, (Ib. a. 3. o.) quæ vulgaritè significat omnem vitiosum libitum, seu cupiditatem animi, specialitè tamen ex communi usu loquendi significat cupiditatem delectationis veneræ.

Luxuria itaque definitur potest, appetitus inordinatus delectationis veneræ. Delectatio veneræ autem est, quæ consurgit ex commotione, vel alteratione partis inferioris ob motum spirituum generationi servientium, qualis percipitur in ipsa pollutione, aut copula. Dicitur veneræ, quia naturalitè ordinatur ad promovendam generationem, cui Deum Venerem præsidem faciebat insaniens & impia Gentilitas.

Dico. (Ib. a. 3. o.) Luxuria est ex genere suo peccatum mortale. Prob. (Ib. in arg. s. c.) 1. ex Apost. ad Galat. 5. ubi inter opera, quæ excluduntur a Regno Dei, enumerat Theol. Billuart. Secunda Secunde.

in qua S. Doctor reponit præcipuè materiale virginitalis; & idè docet, ut dixi, pueros, atqueam sicut seminationis capaces, per actus impudicos non amittere virginitalitatem quantum ad materiale. Nec obstat, virginitalitatem importare etiam propositum abstinendi a similibus delectationibus morosis, quia id importat tantum secundariò & tamquam materiam minis principalem, cum, ut dictum est, præcipua delectatio sit in resolutione seminis, ad quam alie delectationes & actus libidinosi per se ordinantur, & qua obtemperata reversit passio. Quapropter ex instantia bene probatur, reverè amitti virginitalitatem per delectationem morosam, non tamen irreparabiliter, quia remanet ejus materiale principale. Secunda pars eadem probabilitate gaudet, ac præcedens conclusio; si enim talis sit delectatio, ut ex ea nata sit sequi pollutio, quamvis de facto non sequatur, videtur esse de ea eodem modo ratiocinandum, ac de actibus libidinosi, ex quibus per accidens non sequitur pollutio, licet ex his nata sit sequi.

Petes, utrum violata, aut polluta in somno, ebrietate, amentia, aut per vim, amittat virginitalitatem morale? R. (Ib. a. 6. & 7.) Si violatio, aut pollutio fuerit perfectè voluntaria in causa, tollit irreparabiliter virginitalitatem, aut si mulier hac intentione iret dormitum, aut se inebriaret, ut cognosceretur a viro. Si autè & post displicat, nullatenus tollit. Si verò, cum sit involuntaria in causa, post factum tamen placeat, tollit quidem virginitalitatem, sed reparabiliter per penitentiam; quia approbatio illa subsequens non facit actum præteritum esse voluntarium; nec de facto inducit, ut suppono, corruptionem, cujus immunitas est materiale virginitalis. Qui tamen (Ib. ad 6.) violentè corruptum ducere, fieret irregularis defectus significationis; quia in significationibus Sacramentorum magis attenditur, quod exterius geritur, quam quod interius; & præcipuè, si per vim violata fuerit sui compos: quia, cum propter delectationem nimiam ratio in illo actu suffocetur, difficillimum est tali delectationi dissentire id statu illo, & idè præsumptio videtur esse, quod consensit.

luxuriam. Prob. (Ib. o.) ratione. De ratione luxuriæ est, ut ordinem & modum rationis excedat circa veneræ; atqui talis excessus est ex genere suo mortalis: ergo. Prob. Minor: quanto aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet, ut circa illud rationis ordo servetur, & per consequens gravitè vitiosum est, si ordo rationis præmittitur; atqui usus veneræ est valde necessarius ad bonum commune, quod est conservatio generis humani, sicut cibus necessarius est ad conservationem individui: ergo excessus circa veneræ, præter id, quod requirit ordo rationis, est mortalis, utpotè in re gravi.

Dices 1. Præcipuus actus veneræ est emissio seminis; atqui talis emissio non est peccatum: ergo. Prob. Min. semen est superfluum alimenti; atqui in emissione aliarum superfluitatum non est peccatum: ergo. R. N. Minorem: (Ib. ad 1.) probationem, D. Majorem: Semen est superfluum alimenti, quo indiget ad conservationem speciei, C. Quo non indiget, N. Alie autem superfluitates humani corporis sunt, quibus non indiget, & idè non refert, qualitercumquè amittantur, salva decencia actus humani. Undè est disparitas ab emissione seminis, quæ ratiè debet fieri, ut conveniat fini, ad quem eo indiget.

Inf. ergo saltem in his, in quibus semen non est prolificum, ut sunt eunuchi, frigidi, mulieres, quæ non patiuntur amplius menstruum, hujus emissio non erit peccatum. R. N. Illationem: quia non cessat lex ex eo quod cessat finis legis inaduatè & circa quosdam particulares tantum: seu, ut dicit Cajetanus hic, quia id est per accidens. Præcepta autem moralia attendunt ad id, quod secundum naturam est, & non ad id, quod per accidens in illa completionem, vel ætate invenitur. Per se autem semen a natura ordinatum est ad prolis generationem, alioquin semen non esset. Et idè circa seminationem quamlibet communia præcepta, quæ maxime a fine, qui est generatio, sumuntur, servanda sunt, quantumcumquè per accidens tunc generatio sequi non possit. Falsissima est ergo & destructiva moralis Christianæ Consequentiæ allata. Ita Doctiss. Cardinalis.